



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

631. An non saltem semoto illo vitio litigiosi, lis nihilominùs circa pensionem narranda sit in translatione, aut facultate transferendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

*Questio 631. An non saltem semoro illo vitio litigiosi, lus nihilominus circa pensionem narrandi sit in translatione aut facultate transferendi?*

**R**espondeo negativè: Siquidem expressio litis in eo solum casu facienda, ubi ex rescripto Principis acquiritur jus novum, quo alteratur status litis in præjudicium colligantis, ut rectè Belamer. *decis.* 747. n. 3. jam verò per translationem nullum novum præjudicium, seu onus creatur Ecclesiæ. *Lott. cit. q. 40. n. 111. juncto n. 112.*

*Questio 632. In quas personas fieri possit translatio pensionis?*

**1. R**espondeo primò in genere: Servatà formà translationis transitum pensionis adhuc impediri, si persona translatarii sit incapax pensionis, adeoque hoc præcipuè cavendum transferenti. *Lott. l. 1. q. 40. n. 113.* Siquidem factum translationis totum quoad valorem pendet ex eo, an legitime facta translatio, & in personam habilem. *Lott. ibid. n. 352.* si enim hæc talis non est, impeditur translatio ex contraria mente Papæ, perpetuè restricta ad capacitatem personæ translatarii. *Lott. ibidem n. 94.* Porro is capax censetur, ut in se transferatur pensio, qui capax est, ut eadem pensio sibi reservetur. *Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 6.* dum enim conceditur facultas transferendi pensionem in alium, intelligitur de alio simili ipsi transferenti, nempe quoad capacitatem habendi talem pensionem. *Lott. cit. q. 40. n. 134.* *Corrad. pr. benef. l. 5. c. 6. n. 24.* citans *Garc. p. 1. c. 5. n. 140.* eò quòd, ut *Corrad.* terminus alius implicet similia ac paria, & infert idem in qualitate, licet diversum in substantia. Sicque in consideranda habilitate vel inhabilitate personæ attendi semper debet tempus, ut nimirum pro illo adsit dicta habilitas, quo actus ad personam applicatur, sicut in reservatorio tempore reservationis, sic in translatorio ipso tempore translationis esse debet dicta habilitas, ita ut, si expost priùs superveniat, translatio non secus ac reservatio sit nulla. *Corrad. loc. cit. n. 26.* *Lott. l. 1. q. 40. num. 130.* Unde jam

**2. Respondeo secundò in specie:** Sicut non nisi clerico reservatur, ita hodie nulli permittitur facultas transferendi pensionem in laicum, nisi cum clausula: *ex nunc prout ex tunc, cum clericali charactere insignitus fuerit.* *Lott. loc. cit. n. 131.* quod, sicut in reservatione pensionis, sic & in translatorio intelligitur de charactere exequibili, & quidem exequibili illo tempore, quo fit translatio. *Lott. n. 131. juncto n. 148.* *Corrad. n. 27.* ita ut v. g. clericus factus ab Episcopo non suo sine licentia proprii Episcopi, quia non habet clericatum exequibilem, sed suspensus est: item clericus excommunicatus non potest esse translaturus, uti nec reservatarius pensionis juxta dicta superius. In eo autem casu ante susceptum clericatum pensionarius nequit petere pensionem. *Corrad. loc. cit. n. 29.* *Lott. loc. cit. n. 132.* Et, si interea moriatur transferens, non fit retrotractio, sed remanet pensio extincta. *Lott. n. 133.* ex *Gabriel. conf. 186. n. 13. l. 1.* Item translatio facta in Novitium, non clericum, est nulla, sicut dictum de reservatione. *Lott. n. 136.* Sic bigamus, etiam dispensatus ad pensiones retinendas, est incapax

*P. Lauren. Fori Benef. Tom. III.*

pensionis in eum transferendæ, etiam ex vi facultatis transferendi in personas Ecclesiasticas. *Corrad. loc. cit. n. 32.* In summa, quidquid supra dictum de laicis, regularibus, illegitimis, bigamis, &c. aliisque incapacibus hujus vel illius pensionis, vel omnium pensionum respectu reservationis, idem pari modo locum habet respectu translationis pensionis in eos faciendæ; ista proinde revidenda, uti & legendus *Corrad. l. 5. c. 6.* Adeoque jam etiam suppositis in persona translatarii pluribus impedimentis, tot esse necessarias dispensationes, quot sunt impedimenta, nec sufficere clausulam generalem remotivam obstantium, sed esse opus de singulis defectibus fieri mentionem, tradit *Lott. nu. 192. juncto nu. 193.* citans *Gonz. gl. 130. n. 98. &c.* Comprehendi autem in dispensatione sub verbis retinendi, consequendi, ac exigendi pensiones etiam casum consequendi illas per viam translationis, & in hoc puncto nullam considerari posse differentiam inter pensiones reservatas & translatas, dum pensio translata etiam dicitur reservata; quia in translatione, extinctà priore, reservatur nova translatorio, indubitatum videtur. *Corrad. cit. c. 6. n. 32.* juxta *decis. Rotæ 30. n. 30. p. 5. recent.* Sic etiam itante facultate transferendi pensiones in personas Ecclesiasticas quascunque, comprehenduntur & ex personæ, quæ tales sunt per dispensationem Apostolicam, ac ita fieri posse translationem in clericum bigamum, sed per dispensationem habitatum, *ibidem* tradit *Corrad. ex Lott. l. 1. q. 40. nu. 168.* Item in clericum illegitimum, qui per dispensationem Episcopi promotus ad clericatum. *Corrad. n. 33.* ex *Lott. loc. cit. n. 144.* etiam si is sit proprius filius illegitimus. *Corrad. n. 34.*

*Questio 633. An, & qualiter transferens, facta translatione, continuo amittat jus exigendi pensionem?*

**R**espondeo: Destitui illum illico omni jure suo, etiam respectu exactionis pendentis termini pro rata fructuum perceptorum per titularum ante ipsam translationem, nisi fuerint expressè reservati. *Lott. l. 1. q. 40. n. 22.* *Parif. l. 6. q. 4. n. 48.* Attenditur siquidem in hoc simpliciter mens ipsius transferentis, qui, si expressè non reservavit ratam illam istorum fructuum termini pendentis, censetur & sibi, & hæredibus præjudicare. *Lott. loc. cit. n. 23.* Atque ita casus hic extinctionis voluntariæ pensionis quoad hoc distinguitur à casu extinctionis necessariæ, v. g. per mortem, in quo, ut *Parif. loc. cit.* juxta *decis. Rotæ*, numeratione facta à die reservationis pro rata temporis, quo intra illum annum vixit pensionarius, dandum hæredibus, & residuum relinquendum Rectori beneficii.

*Questio 634. An, & qualiter translatio facta intimanda debenti solvere pensionem?*

**R**espondeo: Debere illi infra tres menses intimari translationem factam, sive ea facta sit in absentem, sive in non absentem. *Parif. l. 6. q. 4. n. 47.* *Azor p. 2. l. 8. c. 11. q. 12.* citantes *Gig. Cassador.* dicentes, sic servari in praxi.

D d,

Qaa-